

Wg. 40.

DISSE⁹
TATIO IN AVGURALIS IVRIDICA
DE
**PROBATIONE PER LIBROS
MERCATORVM.**

QVAM
AVSPICIIS REGIIS
AVCTORITATE ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM
ORDINIS
IN
ACADEMIA GEORGIA AVGSTA
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS
DEFENDET
DI^E XXVI. SEPTEMBRIS MDCCXCV.
IOACHIMVS NICOLAVS SCHAFFSHAVSEN,
HAMBURGENSIS.

GOTTINGAE,
TYPIS IOANNIS GEORGII ROSENBUSCHII.

DIESELBT DIO MUSICALIS LITERAT
PROBABLO PER TERRAM
MERCATORUM

ALLEGORICIS REBUS
TYPICIS HISTORIAS
OMNIA
SACRA
PROPHETICAS
HISTORIAS
HONORIBUS
HABENT
HABENT

LOGICAS LUDICRAS ECLATANTAVENI

INCLYTAE

LIBERAE SACRI ROMANI IMPERII
REIPUBLICAE HAMBVRGENSIS

SENATVI

SPLENDIDISSIMO ET AMPLISSIMO

VIRIS

MAGNIFICIS PERILLVSTRIBVS
CONSULTISSIMIS EXCELLENTISSIMIS

PATRIAEC PATRIBVS
PATRONIS ET FAVTORIBVS
SVIS INDVLGENTISSIMIS
HASCE STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS
OMNI QVA PAR EST SVBMISSIONE ET REVERENTIA
OFFERT
TANTORVM NOMINVM
CVLTOR OBSERVANTISSIMVS
AVCTOR.

PROBATIONE PER LIBROS MERCATORVM.

Rerum summa haec est:

- I. Instituti ratio declaratur. §. I.
- II. De fatis privilegii librorum mercatoriorum. §. II. III.
- III. De privilegii ambitu, ad principia de communione iurium in Germania revocato. §. IV.
- IV. De fundamento privilegii. §. V.
- V. De conditione librorum, quae requiritur, ut privilegio gaudent.
 - I. Liber principalis sit. Diarium eandem vim non nisi exceptionis modo habet. §. VI.
 2. Enumerantur reliqua requisita. §. VII.
 3. Num omnia ac singula requisita simul adesse debeat? §. VIII.
- VI. De his, quae vi privilegii probari possunt.
 1. Non solum quantum debitum, sed etiam causa debendi probari potest. §. IX.
 2. Modo subsit negotium circa debitum et creditum occasione mercaturae initum. §. X.
- VII. De eo, in quantum libri probent?
 1. In regula minus plene probant, nisi statutum maiorem ipsis vim trubat. §. XI.
 2. Quomodo eiusmodi statutum interpretandum sit? §. XII.

VIII.



VIII. De his, qui privilegio gaudent.

1. Competit omnibus mercatoribus. Brevi explicatur, quis sit mercator?
§. XIII.
 2. Extenditur ad eos, qui in negotiis suis diffusis libris, more mercatorum conscriptis, utuntur. §. XIV.
 3. De libris mensariorum. §. XV.
 4. De libris iudeorum. §. XVI.
 5. De his, qui privilegio indignos se fecisse arguuntur.
 - a. De his, qui infamia laborant. §. XVII.
 - b. De decoctoribus. §. XVIII.
 - c. De his, quorum libri suspicionis ideo accusantur, quia in alia causa adversarii libris, iuramento munitis, victi sunt. §. XIX.
 6. Conservatur privilegium, etiamsi mercatores aliud vitae genus praeter mercaturam elegerint. §. XX.
 7. Non autem privilegio gaudent personae extraneae. §. XXI.
- IX. De his, contra quos privilegio locus est. §. XXII.
- X. De modo privilegii exercendi.
1. De modo producendi libros. §. XXIII.
 2. Habita in primis ratione loci, ubi productio fieri debet. §. XXIV.
 3. De iuramento suppletorio. §. XXV.
 4. In specie de ipsius remissione. §. XXVI.
 5. Num conventus contra se libros suos edere obligatus sit? §. XXVII.
 6. Num admittatur probatio in contrarium? §. XXVIII.

§. I.

V

Cognitio iuris civium in seipso non est
civis iuris.

IV.

civis obiret non ab inimicis sed de
militia X. l. 3. de iure bellici omni

THESES.

Et si militia milites angel iuris.

I.

Citra casum defensionis territorii cives ad militiam iu-
re cogi non possunt.

II.

Legatum liberationis ab indebito est nullum, licet spe-
cies aut quantitas sit determinata, ob L. 75. §. 2. D. de
leg. I.

III.

Correi debendi beneficium habent divisionis, ob Nov.
99. c. I.

IV.

Transactio ob enormem laesionem rescindi nequit.

V.

V.

Condictio indebiti scienter indebitum solventi non indistincte deneganda est.

VI.

Nec pactum nec iusjurandum de non ferendo testimonio ullam habet vim, ob c. 4. X. de testib. cogend.

VII.

Interpretatio legum criminalium extensiva in regula admittenda non est.

VIII.

In causis criminalibus suppletorio accusatoris iuramento locus non datur.

III

VI

§. I.

I. *Instituti ratio declaratur.*

Libri rationum praecipui, quibus mercatores utuntur, sunt diarium seu adversarius (*das Jurnal, oder das Tagebuch*) et codex rationum principalis (*das Hauptbuch*). In adversario omnia negotia, mercaturam concernentia, secundum ordinem dierum singulis partitis (*Posten*) breviter ita annotantur, ut ex eo facile in codicem principalem transferri possint. In codice principali quisque, quocum mercatori negotia sunt, et quodvis mercaturaे obiectum, cuius natura hoc postulat, propriam rationem (*Rechnung oder Conto*) habet, in cuius sinistra parte credita, in dextra vero debita scribuntur. Nonnulli mercatores praeter adversarium librum memorialem (*Memorialbuch, Manual, Strazza*) habent, in quo omnia, mercaturam concernentia, celeriter et brevi annotantur, et ex quo postea partitae diarri formantur, ut hoc eo rectius et emendatius conscriptum sit. Reliquos rationum libros subsidiales (*Nebenbücher, Hülfsbücher*) recensere, meum non est.

A

Secun-

Secundum consuetudinem generalem mercatoribus privilegium speciale competit, vi cuius rite confessus codex rationum in negotiis mercatoriis non solum pro codicis domino, sed etiam, eo mortuo, pro ipsius heredibus, in eo se fundantibus, probationem semiplenam, et si per iuramentum libri contenta sint confirmata, plenam contra debitorem probationem facit.

Illustrationem istius iuris singularis, recendentis mirum quantum ab illo iuris Romani: scripturam pro scribente nil probare; aut ab illa iam in capitularibus facta prohibitione: ut nullus in sua causa iudicet, aut testimonium dicat, scriptio[n]is huius argumentum sumsi. Quem rerum ordinem secutus sim, ex tabula praefixa satis patet.

Idem argumentum ab aliis iam tractatum est. Inter antiquiores eminet I. KLEIN, qui dissertationem scripsit *de probatione, quae sit per libros mercatorum*, Rostoch. 1698. Inserta est eius volumini *dissertationum iuridicarum*, quod prodidit 1706 in forma quadruplicata Gustrovii, non Berolini, ut NETTELBLADT (in *initiis historiae literariae iuridicae universitatis*, p. 344) male habet, et ex eo WESTPHAL in *Anleitung zur iuristischen Bücherkenntnis*, p. 1095. Reliquorum auctorum notitiam quaerere in bibliotheca iuris LIPENII cum supplementis SCHOTTII et SENKENBERGI sub rubrica: *mercatorum libri*. Nonnullae tamen dissertationes addenda sunt: C. A. BREHM *de probatione ex libro mercatoris*, Lipsiae 1784. I. A. LUD. CAR. MEISTER *de fide librorum mercatoriorum*, Gottingae 1789.

Num

Num quid bonae frugis post illa doctorum virorum studia
ad argumentum attulerim, non adeo mihi sum Suffenus, quin
id aliorum esse iudicij libenter atque ingenue fatear.

S. II.

II. *De satis privilegii librorum mercatoriorum.*

Cum medio aevo in Italia mercatura floruerit, verisimilium est, tunc temporis iam consuetudinem extitisse, vi cuius libri mercatorii semiplene probarent. Iureconsulti vero, cuncta ex corpore iuris haurire cupientes, etiam privilegium librorum mercatoriorum, quod inter mercatores receptum esse fortasse observarant, in illo invenire studuerunt. Nam glossatores ex L. 26. §. 2. D. depositi vel contra, aliisque quibusdam iuris Romani locis (¹) collegere, librum pro scribente in connexis probare, id est, si codex expensa et accepta contineat, et haec se recte habere dicantur, fidem etiam habendam esse illis. Ita iam ante seculum XIII., librum mercatorum pro mercatore probare, doctores asseruerunt. Tali modo consuetudo, inter mercatores recepta, etiam in systemata et commentarios iureconsultorum irrepuit. Cum vero iisdem temporibus plures civitates Italicae sibi nova statuta conderent, iis consuetudo, quae libris mercatorum semiplenam vim trahuit, confirmata est. Iam non difficile est ad intelligendum, qua via eadem doctrina se per universam Europam diffuderit. Nam ab Italicis civitatibus medio aevo non solum industria

et

(¹) L. 9. §. 2. D. de edendo. L. 6. C. de probat. A 2

et commercium, sed etiam iuris scientias in reliquas Europae terras propagata est (2).

§. III.

Continuatio.

Quando primum in fora Germaniae institutum se propagaverit? ubinam vim suam primum exseruerit? quis cultus eiusdem deinceps fuerit? quos progressus fecerit? quaenam, ut brevi dicam, fata prius expertum sit, quam ad tale auctoritatis fastigium, quo nunc illud positum conspicimus, pervenerit? nondum satis liquet.

Nec mihi per temporis angustias licuit, in tam operosam disquisitionem descendere. Evolvi tamen, ut mihi, satis rei curioso, aliquatenus certe satisfacerem, alias atque alias liberos. Quid extricaverim, paucis dicam.

Non adeo diu esse videtur, ex quo privilegium librorum mercatoriorum in patria nostra invaluit. Silent certe de eo statuta Salfeldensia seculi XIII., etiamsi mentionem ipsius faciendi, si tunc iam usus ipsius in urbe fuisset, summa opportunitas, imo necessitas erat. Loquuntur enim satis copiose de his, quae argumentum de probatione iudiciali concernunt. Qui fieri poterat, ut illud privilegium solum, si extisset, omitterent? Contraria ei potius sunt, quae articulo XIII. et XIV. de probatione mercatorum expresse sanciuntur:

Art.

(2) HEINECCIUS in dissertatione: *de libris mercatorum foro cedentium*, §. 16. 17. 18.

Art. XIII. »Ein Koufman obirzcugit einen lantman vmmme gelthaste Schult mit zwen Koufmannen oder mit eime Koufmanne und mit eime Lantmanne.»

Art. XIV. »Sal ein Koufman eime andern Koufmanne gelde. wil her yme loukene her irczugit sin gelt mit zwen warasten Koufmannen» (3).

Ex quibus locis, si comparantur cum articulo 177, apparet, mercatoribus vulgarem viam in modo probandi monstrari, testes ipsis opus fuisse, perinde ac cuivis alii ex populo, quin in delectu testium eosdem moribus parere debuisse communibus, quibus testes, reo pares, prae reliquis praestabant (4). Articulus 177. ita nimirum sonat:

»Dat is ein recht der stad were daz ein burger den andern burger beklaita iz si vmmme waz sache iz sy wil her en überzuge so sal her en vbirzcuge mit zewen burgern di iz gesen vnd gehort haben mochte he zweiger burgere nicht gehabe so sal her habe eyn burgere und eyn lantman were och daz ein lantman einen burger solde vbirzcuge mit eyme burgere vnd mit eyme lantmanne di iz gesen vnd gehort haben adir mit zwen burgern» (5).

Pari

(3) WALCHS Beyträge zum Deutschen Recht, T. I. p. 17.

(4) Cf. C. FR. WALCH de testis reo paris praestantia. Jenae, 1756.

(5) Vide WALCHS Beyträge. T. I. p. 58.

Pari modo in statutis Augustanis anni 1276. multa occur-
runt ab articulo inde 350 (⁶) de probatione per instrumenta;
de fide vero librorum mercatoriorum ne vestigium quidem.

Plurimum in hac re valere debet argumentum, a silentio
ductum, si sermo est de earum civitatum statutis, quae com-
merciorum saluti in primis studuerunt. Cuius generis Ham-
burgum semper fuisse, quis negaverit? Iam vero in statutis
Hamburgensibus anni 1497. adhuc de privilegio nostro altum
silentium, quantumvis multa sint in doctrina de probationibus
per totum caput quintum, inscriptum: *Vann Allerhande
bewyse van eeden onde tughen* (⁷).

Quo tamen non negaverim, *similes*, et aequali certe
modo mercatoribus faventes consuetudines multo prius re-
gnasse. Quod ut statuam, ipsi monent articuli ex statutis Sal-
feldensisibus, paulo ante a me excitati. Ibi scilicet mercatori,
ut ei sublevetur onus probandi, privilegium datum esse vide-
mus, quo ei vi articuli XIII. venia datur, producendi contra
rusticum debitorem 1) pro lubitu, *nec saltem in subsidium*,
2) alterutrum, vel etiam utrumque testem reo haud parem,
et quidem 3) ita, ut utroque casu, sive alteruter tantum, sive
uterque testis reo impar sit, cuinam alii pares sint, utrum neu-
tri ex partibus litigantibus, an etiam vel creditor ipsi, arbi-
trio mercatoris relinquatur. Quae sanctio triplici modo favet
mercatoribus. Nam in causis non ita privilegiatis, testante articulo
177., ex testibus 1) non nisi unum, qui impar reo est,

modo

(⁶) Vide WALCHS *Beyträge*, T. IV. p. 333.

(⁷) Eodem. T. VI. p. 80-93.

modo 2) non actori par sit, nec tamen 3) aliter, ac in subsidiū adhibere permittitur.

Silet quidem iste articulus de privilegio librorum mercatoriorum ipso; innuit tamen aliud, illi admodum affine. Utrumque ad usum et commoditatem instrumentorum probandi, scilicet illud ad testes, hoc ad documenta spectat. Utrumque situm est in exceptione a iure communi, eo consilio facta, ut mercatori in probandis nominibus, occasione mercatura contractis, subveniatur. Illo detrahitur regulae: scripturam pro scribente non probare; hoc communi maiorum mori: testes reo pares esse oportere.

Equidem non repugnarem, si quis in illo articulo XIII. levia vestigia privilegii librorum mercatoriorum reperta esse diceret. Vetustiora certe, ut equidem scio, nondum comparuere. Ut fallacia sint, hoc commune antiquitatis vitium est.

Uti vero ex una partē articulus XIII docet, pueritiam privilegii in Germania ipsa, et quidem iam a seculo XIII. incepisse, ita ex altera parte articulo XIV. monemur, multa in privilegio hodie aliter esse posita, ac olim. Nec mirum, quod tot seculorum decursu factum sit, ut nonnulla oppositis plane locis hodie stent. Innuo articuli XIV. sanctionem, qua mercatori contra mercatorem in testium productione non aequa favetur, ac contra rusticum. Mercatore scilicet reo, ut neuter testium, ab alio mercatore productorum, impar illi sit praescribitur; quod secus se habet, si rusticus reus est. Testium usus ergo in illo casu restrictior atque angustior erat, quam hoc. Contra hodie librorum mercatoriorum usus multo pin-

pinguior et latior illo casu est, quam hoc. Nam plene probare solent libri contra mercatores in iis locis, ubi contra alios non nisi minus plene, et minus plene contra mercatores, ubi contra alios nihil. Sequitur, quae re ipsa sibi similia sunt, ea, si personae debitoris rationem habeas, adversa fronte sibi contraria esse.

§. IV.

III. *De privilegii ambitu, ad principia de communione iurium in Germania revocato.*

Privilegium librorum mercatoriorum revera in foris nostris regnare, dubitare certe non licet. Testantur MEVIUS (⁸) et KLEIN (⁹). Hic plenam, illic semiplenam obtinent fidem. Aliis in locis ad certa argumenta, aliis restringitur privilegium ad certa requisita (¹⁰).

Praecipuas super probatione ex libris mercatorum constitutiones continent: *ius Lubencense*, parte V. tit. 6. art. 4. *Reformatio Francofurt.* tomo I. tit. 31. §. 12. *Ordinatio provincialis Wirtemb.* anni 1654. parte I. rubr. *Der Kaufleute etc.* *Reformatio Norimbergica*, tit. 8. lege 7. *Ius provinciale Borussicum* de libris mercatorum praeclara constituit parte

(⁸) P. I. dec. 241.

(⁹) Loc. cit. cap. 3. n. 15.

(¹⁰) Legum indicem, quae probationem per libros mercatorum restringunt, dat SELCHOW in *iure Germanico*, §. 206. nota 3. Addatur CARL. GOTTL. KNORRE von *landesfürstlichen Satzungen wider den Beweis durch Handelsbücher und Kramerglauben*. (In den rechtlichen Anmerkungen. N. 2. p. 8. fqq.)

parte II. tit. 8. §. 562-613. Statutum patrium haec ordinat in parte I. tit. 30. art. 6 et 7: »Wenn Kaufleute und dicieren, so offene Kram und Laden halten, auch Brauer, ihre Schuld- und Handelsbücher, zu Beweisung ihrer daselbst eingeschriebenen Schulden und Handlung gerichtlich produciren, und dieselben Kauf- und Handelsleute in ihren Gewerben aufrichtig befunden, und eines guten Nahmens und Leumuths sind, auch ihre Handelsbücher ordentlich und richtig, ehrbarer Kaufleute Gebräuche gemäß, gehalten, und darin nicht allein Creditum, sondern auch Debitorum, mit Benennung Iahres, Monates und Tages, geschrieben, die Ursache der Schuld gemeldet, und dieselbe nicht übermässig, und der Gegentheil solche Bücher durch keine Gegenbeweisung und rechtmässige Vermuthung kann ablehnens; so wird ihnen, in Sachen ihr Gewerbe und Handlung belangend, so viel Glaubens gegeben, dasz dem Producenten der Eid, zu volliger Beweisung zuerkannt werden mag. — Art. 7: »Da aber der Kauf- und Handelsmann, der eines guten Nahmens gewesen, Todes verfahren wäre, und seine Handelsbücher in der Masse, wie vorgedacht, gehalten hätte; soll denselben Büchern nach seinem Tode vollkommenere Glaube gegeben, und darauf erkannt werden.».

Quantumvis autem vulgare et ubique obvium sit illud privilegium, tamen quotiescumque adhuc dubium est, utrum hic illicve receptum sit, nec ne, illud praesumere caveas; recentius enim est, quam ut aliquid valere possit contra vim com-

mūnēm iuris peregrini. Semel vero si certo loco receptum et adoptatum esse appareat, ex communi eius natura, si leges loci particulares silent, vel si quid anceps reliquerunt, illud aestimes. Ut iuris Romani regulam: scripturam pro scribente nil probare, communiter abrogatam, ita in ipsius locum, privilegium nostrum communiter successisse negaverim. Quae ex iuris patrii disciplina privilegium illud communia habet, ea pendent a conditione. Non nascitur ex iure communii, vivit tamen exinde et alimenta capit.

Quo nihil detrahere videor iuris patrii auctoritati, quippe cuius *vis communis* non minus in excludendis iis, quae a se aliena, quam in vindicandis iis, quae sibi propria putat, spectatur. Quaenam communiter exulent iura in Germania, dicere, non secus argumentum disciplinae iuris patrii communis esse potest, imo debet, quam quaenam communiter vigeant.

Sequitur inde, minime probare librum mercatorium, si alio scriptus loco, quam ubi tale statutum viget, ad probandum debitum in iudicio, ubi viget, producitur, nisi illud statutum privilegium ad libros alibi locorum scriptos extendat (11).

Communiter existimatur, si quis librum scriperit in loco, ubi viget statutum aut consuetudo, unde isti attribuitur vis probandi, illum non ibi solum, sed etiam in alio loco vel territorio, ubi tale quid cautum aut receptum non fuit, fidem faciat.

(11) MEVIUS ad ius Lubecense, P. V. tit. 6. art. 5. n. 6.

II

facere et capere (12). Rationem huius sententiae esse doctores dicunt, extraneum consuetudini loci se conformasse, in quo contractus est initus, censendum esse. Mihi vero nulla causa adesse videtur, cur liber mercatorius, qui vim probationis ex consuetudine loci vel statuto habet, extra territorium, ubi idem non est introductum, eundem probandi effectum retineat. Nam leges vel consuetudines speciales extra fines iurisdictionis vi carent. Tum etiam non de iuribus et obligationibus ex negotio, extra territorium contracto, et secundum leges loci contractus diiudicando, sed de mediis probandi agitur, quae ex legibus loci, ubi lis est, neutiquam vero loci contractus initi, sunt diiudicanda.

Ceteroquin privilegium ex regula omnibus competit, qui in civitate statum mercatoris habent, ubi statutum vel consuetudo, quae id introduxit, viget, non attento discrimine, utrum cives sint, nec ne. Est enim privilegium non personae, sed rei, i. e. mercaturae. Exceptio est, si illud civibus tantum, vel certo ordini civium concessum esse appareat.

§. V.

IV. *De fundamento privilegii.*

Verum fundamentum privilegii neque in favore commer-
ciorum, neque in cura et ordine, qui in conscribendis hisce
libris observatur, sed in eo ponendum est, quod sine fide mu-
tua

(12) MEVIUS ibidem. STRACCHA in tractatu de mercatore, tit. quo-
modo in causis mercatorum procedendum, n. 31.

tua (*activem und passivem Credit*), quae quasi anima mercatura est, negotia ullo modo exerceri nequeant. Fides vero emtori habenda venditorem cogit, in promissione illius absque chirographo acquiescere. Quam ob rem ab altera parte non minus aequum est, ut propria annotatio debiti, a venditore facta, fide digna habeatur. Huc accedit, quod fama et salus mercatoris ab accurata confectione et a veracitate libri sui pendeat (13).

§. VI.

V. De conditione librorum, quae requiritur, ut privilegio gaudent.

i. Liber principalis sit. Diarium eandem vim non nisi exceptionis modo habet.

Ut liber sit principalis requiritur; non sufficit diarium; bene tamen est illi adiumento. Ita fit, ut actorem non solum codicem principalem, sed etiam adversarium producere oporteat, ut unus cum altero conferri possit, et ita debitum in item deductum certius reddatur.

Quid, si nomen tam subito iudicium involat, ut in codice principali nondum potuerit annotari? Haec quaestio non est otiosa, cum saepissime huiusmodi quid in nundinis contingere possit. Tunc de adversarii veritate non est dubitandum, si ipsi nihil ex iis deest, quae in codice principali ad probationem requiruntur, et si in reliquis omnibus consensus de-

pre-

(13) Cf. RUNDE'S *Deutsches Privatrecht*, §. 459.

prehenditur⁽¹⁴⁾. Quod rationi et aequitati omnino consente-
taneum est. Nam negligentia mercatoris hoc casu non accu-
sari potest, nec ideo causa adest, cur ipse a privilegio nostro
excludatur. Non huic, sed actori imputandum est, quod
probatio in forma consueta non possit fieri.

Stat tamen uti regula: soli libro principali privilegium
esse⁽¹⁵⁾.

§. VII.

2. *Enumerantur reliqua requisita.*

Porro, ut liber mercatorius vim semiplenae probationis
habeat, requisita ipsi inesse debent haec:

1) Librum vel codicem, quem mercator profert, nulla
falsitatis suspicione laborare, adeoque illum compactum esse,
folia numerata, nihilque erasum, evulsum, deletum, super-
scriptum habere oportet. Ita fieri solet, ut, si is, qui codi-
cem conscripsit, aliquid humani passus sit, ea, quae perpe-
ram dedit, nec deleantur, nec inducantur, sed error note-
tur, et res de novo subiiciatur, vel e regione, non autem in
margine, ponatur.

2) Liber contineat data et accepta, cum singularum par-
titarum, quas vocant (*Posten*), die et consule, et quidem sine
omnibus abbreviationibus et siglis incognitis. BERGERO⁽¹⁶⁾
qui-

(¹⁴) ORTH's *Anmerkungen zur Frankfurter Reformation*, T. I. p. 174.

BÜSCH'ENS *Darstellung der Handlung*, T. II. p. 147.

(¹⁵) RICHTERI *Decisiones*, dec. 128.

(¹⁶) *Responsorum*, P. II. R. 170.

quidem, ut dies notatus sit, non necesse, sed consultum tantum videtur, ut ex libris non debita solum, sed quantitas etiam usurarum probari possit. Dubito tamen an recte. Ceterum si cuiusdam pagina acceptorum sit sine scriptura, quia ab eo dominus codicis nihil accepit, ex eo probationi neutiquam praeiudicium inferri, perse intelligitur (17).

3) Non nisi ea, quae ad mercaturam pertinent, in codicem illum referenda sunt.

4) Causae et genera obligationum rite sunt exprimenda.

5) Codex cum adversario seu diario convenire debet, ideoque uterque est exhibendus et comparandus (18).

Si haec requisita adsunt, tunc ex codice principali, cum diario collato, probatio elici potest (19). Codici non nocet, si haud mercator, sed librarius (*der Buchhalter*) eum scripserit (20), etsi non desint doctores, qui hoc negent (21). Hodie plurimi mercatores ipsi libros suos non conscribunt, sed huic provinciae peculiarem officialem praeficiunt. Veritatem tamen librorum ex hac causa nunquam in dubium vocari videsmus (22).

§. VIII.

(17) KLEIN in diss. cit. cap. II. n. 88.

(18) RÖSNER in tractatu *de libris mercatorum*, cap. XIV. n. 33. CRAMER'S *Werzl. Nebenst.* T. LXXIII. n. 10. p. 143.

(19) HEINECCIUS in diss. cit. §. 19.

(20) WESTPHAL'S *Deutsches Privatrecht*, T. I. p. 135.

(21) BODINUS *de libris mercatorum suspectis*, cap. 2. §. 28.

(22) CARPOV. P. I. const. 17. def. 35. n. 10.

§. VIII.

3. Num omnia ac singula requisita adesse debeant?

Quid, si unum vel alterum requisitum in libro mercatorio deficiat? Non adeo stricte rei inhaerendum est, ut necessario omnia adesse debeant, et uno forte deficiente omnis fides libro rationum dematur. Sufficit, colligi posse, non subesse aliquid fraudis scripturae; quod quidem ex arbitrio iudicis est diiudicandum (23).

§. IX.

VI. De his, quae vi privilegii probari possunt.

1. Non solum quantum debiti, sed etiam causa debendi probari potest.

Ex fundamento privilegii patet, per librum mercatorium, rite conscriptum, non solum quantum debiti, sed etiam causam debendi posse probari, modo constet, eum, qui ex libro suo contra tertium probare debitum velit, cum convento negotia habuisse. Haec limitatio, ut de negotiis inter partes gestis non dubitetur (*dass ein Handelsverkehr zwischen ihnen Statt gefunden habe*), ob securitatem publicam necessaria est. Sine ea privilegium a fraudatore in suum commodum impune adhiberi posset, nec convento ullum refugium ad re-

(23) MEVIUS ad ins Lubec. P. V. tit. 6. art. 7. n. 22.

Ex praxi Hamburgensi in libris opificum et aliorum, qui non ad numerum mercatorum pertinent, eorum forma non accuratissime examinatur. Vide *Hamburgische Gesetze und Verfassung*. T. III. p. 618.

futandam fraudem actoris superesset. Si vero de negotiis gestis nullum dubium est, tunc eo ipso utraque pars fiduciam quoad honestatem atque probitatem alterius declarasse, et debitor annotationes in libro creditoris agnoscisse prae-sumitur. Si conventus cum actore negotia habuisse negat, tunc hic probationem eius rei suscipere debet, quia ea ad fundandam actionem requiritur.

LEYSER (24) autumat, ex libris mercatorum non causam, sed solummodo quantum debiti probari posse. Hoc modo privilegium nostrum iuri communi aptare studet, quia tunc, cum de debito constat, atque saltem de quantitate debiti dubitatur, ad hanc investigandam iusurandum suppletorum creditorii iuste defertur. Ex supra dictis vero patet, hoc privilegium ad ius commune non spectare, et ad eius principia neutiquam revocandum esse.

§. X.

2. Modo subsit negotium circa debitum et creditum occasione mercaturaे initum.

Libri mercatorum non nisi in negotiis mercatoriis probant, et quidem fides eorum tantum in probatione debiti et crediti versatur. Alia non possunt inde doceri, e. g. pretium pecuniae (*der Geldcours*). Si ergo loquuntur de rebus, ad mercaturam non spectantibus, nullo modo pro mercatore,

non-

(24) *Medit. ad pand. spec. 279.*

— 17 —

nonnunquam vero contra eum habent auctoritatem (25). Hinc sequitur, mandatum neutiquam probari posse per librum mercatorum (26). Idem de fideiussione dicendum est, etsi intuitu mercaturae facta sit. Nam privilegium ultra casum expressum non extendendum est (27). Eandem rationem sequimur in diiudicanda quaestione: num libri mercatorii edendi sint, si creditores urgent, sibi ad manus esse instrumenta atque diplomata omni exceptione maiora, quae de pecunia numerata in mutuum data, mercium nulla mentione facta, loquuntur (28). Denique observandum est, librum mercatoris in modico tantum probare solere. In non modicis non probat ad effectum deferendi iuramenti suppletorii (29). Iuramenti enim delatio cessat in arduis causis, etiam civilibus (30). Quaenam sit magna summa, id iudicis arbitrio recte determinandum relinquitur (31).

§. XI.

(25) WESTPHAL's *Rechtsgutachten*, T. I. p. 120.

(26) MEVIUS l. c. parte V. dec. 18. BRUNNEMANN in *consil.* num. 85.

(27) Contrarium sententiam defendit LANGERMANN in diss. *de probatio-*
ne per libros mercatoris mortui, cap. 3. sect. 1. §. 3.

(28) De qua re adeas CRAMERI *Nebenstunden*, T. LXXX. p. 112.

(29) KLEIN l. c. c. 2. n. 142.

(30) MASCARD *de probationib.* vol. II.

(31) Secundum praxin Hamburgensem non summae quantitas, sive sit magna, sive parva, respicitur, quia talem privilegii limitationem emporii patrii maxima negotia non ferunt. Vide *Hamburgische Ge-*
setze und Verfass. T. III. p. 618.

§. XI.

VII. *De eo, in quantum libri probent?*

1. *In regula minus plene probant, nisi statutum maiorem
ipsis vim tribuat.*

Etsi ex regula libri mercatorii semiplene tantum probent, tamen statuta interdum illis plenae probationis vim dederunt; exempli gratia statuta Hamburgensia, ex quibus libri mercatoris mortui vel sine iuramento credulitatis herendum plene probant. Ius Lubecense (³²) libris mercatorum plenae probationis vim tribuit, si summa triginta marcas non excedat (³³). Observandum tamen est, libros mercatorios tunc tantum plene probare, si hoc lex specialis statuat. Haec regula est omni exceptione maior (³⁴); nam privilegium, quod in tantum a iure communi recedit, extendi nequit.

§. XII.

2. *Quomodo eiusmodi statutum interpretandum sit?*

Quid, si statutum libris mercatorum plenam probationem tribuit, nec ea ad certam summam est restricta, num tunc indistincte tam de non minutis, quam de minutis constitutionem precepisse censendum est? Non ignoro, communem

(³²) Parte V. tit. 6. art. 4.

(³³) Plura statuta, quae ad certam summam probationem plenam libris mercatorii tribuant, refert LAUTERBACH in diss. *de iure in curia mercatorum usitato*, thes. 29*i*.

(³⁴) KLEIN, l. c. c. 3. n. 19. seqq.

nem doctorum esse opinionem, in dubio tale statutum tanquam exorbitans, iurique communi contrarium, ad summas minutas esse restringendum. Quaenam vero sit minuta summa, non est constans ipsorum opinio. At illis assentiri non possum. Cum enim mercaturae quasi anima mutua fides sit, haec vero per tale statutum promoveatur, non adesse videatur causa sufficiens ad limitationem talis statuti. Quod vero illud iuri communi contrarium sit, non praebet limitandi rationem, quae quoque in ipso fundamento statuti haud inventur.

§. XIII.

VIII. *De his, qui privilegio gaudent.*

i. *Competit omnibus mercatoribus. Brevi explicatur,
quis sit mercator?*

Manualia privatorum privilegio libri mercatorii non gaudent, nisi fortasse in causis exiguis. CRAMERUS certe hanc exceptionem facit⁽³⁵⁾). Mercatores contra illo gaudent, qualescunque sint, nisi lex specialis aliud statuat. Quis vero mercator sit, est quaestio facti. Hoc notandum est, mercatoris nomen non ex unico actu, sed ex usu et exercitio continuo acquiri; nisi forte professio sollennis, vel inscriptio in matriculam vel album mercatorum praecesserit, ubi vel unicus actus sufficit. Quod tamen ad eos tantum locos quadrat, ubi ma-

⁽³⁵⁾ *Observ.* T. II. p. 1. p. 81. et 252.

matriculae usus viget, stante regula quoad reliquos; nisi exerceatur actus, mercaturam continuandi animo (³⁶). Mercatricis libros eodem privilegio praeditos esse, non est dubium. Ipsam vero mercaturam exercere oportet, sive ipsa negotia gerat, sive per institorem. Non sufficit, ut marito, vel alii personae in negotiis gerendis assistat (³⁷).

§. XIV.

2. Extenditur ad eos, qui in negotiis suis diffusis libris more mercatorum conscriptis utuntur.

Privilegium pro ipsis natura et consilio non solum mercatoribus, sed etiam aliis, negotia similia, in quibus multum fidei tribuendum est, gerentibus, et libros rationum more mercatorum conscriptos habentibus concedendum est. Huc referendi sunt fabricatores (*Fabrikanten*), atque redemptores (*Lieferanten*), nisi forte leges provinciales privilegium ad solos mercatores in sensu stricto restringant (³⁸). Pharmacopolus actionem ex suis libris instituere posse, auctor est RÖSNER (³⁹). Opificum libros effectu semiplenae probationis pollere, quotidiana praxis docet (⁴⁰), quae optime cum

(³⁶) KLEIN, loco cit. n. 56.

par-

(³⁷) Quaenam sit mercatrix habenda, docet *ius Hamburgense*, parte III. tit. 8. art. 1; *ius Lubecense*, parte III. tit. 6. art. 21.

(³⁸) WESTPHAL'S *Rechtsgratzen*, T. I. p. 120. RUNDE'S *Deutsches Privatrecht*, §. 460.

(³⁹) In tractatu de probatione per libros mercator. cap. 4. n. 119.

(⁴⁰) EDZARDUS de fide libror. mercatorior. §. 22. Contrarium sententiam defendit CRAMER in *observationib.* T. II. P. 1. p. 82.

paroemia convenit: ubi eadem ratio, ibi eadem iuris dispositio. Ex statutis Hamburgensibus (⁴¹) etiam cerevisiae coctores hoc privilegium habent. Hodie quidem eorum negotia vix talia sunt, ut ex horum indole privilegium defendi possit. Eodem vero ab istis inde temporibus gaudent, quibus ex cerevisia, in alienas regiones exportata, magnum lucrum faciebant.

§. XV.

3. *De libris mensariorum.*

STRUBEN (⁴²) mensarios seu argentarios (*Banquiers*) privilegio librorum mercatoriorum gaudere negat, ita rationcinans: rationem favoris librorum mercatoriorum inter alia etiam in eo versari, quod mercatores contractus, in scriptum redactos, inire non soleant, mensarii autem securi; praecipue si summa pecuniae, de qua agatur, magna sit. Cambia propria esse syngrapha (*Schuldverschreibungen*), ideoque satis ea in tuto versari vel sine probationis adiumento per libros rationum. Redemptorem cambii plerumque, simul ac cambium ipsi traditum sit, exsolvere pecuniam, vel, si fides ei habita sit, per scripturam se obligare solere.

Mihi vero persuasum est, mensariis omnino privilegio librorum mercatoriorum prospiciendum esse. OMNIBUS mercatoribus competit; illi vero mercatores sunt. Nam pecunia est ipsorum merx, et negotium, quod exercent, fit permu-

tatio-

(⁴¹) P. I. tit. 30. art. 6.

(⁴²) *Rechtliche Bedenken*, T. IV. resp. 44.

tatione cambiorum pro pecunia. Quod saepissime contractus, quos ineunt, in scripturam redigant, id rem non conficit. Aequitas potius suadet, ut iureconsultus non *invidus alterius rebus macrescat opimis*, ut Horatii verbis utar. Gaudeant ergo argentarii pluribus probandi praesidiis, nec altero per alterum, quia concordia sunt, preventur.

§. XVI.

4. *De libris iudaeorum.*

Nulla est ratio, cur libri mercatorii iudeorum, in civitate receptorum, privilegio nostro careant, modo eadem ratione, qua libri mercatorum christianorum, ideoque in primis non lingua iudaica conscripti sint (⁴³). Quod per rationem analogiae ex ordinatione politiae anni 1577. tit. 20. §. 3. confirmatur (⁴⁴).

§. XVII.

5. *De his, qui privilegio indignos se fecisse arguuntur.*

a. *De his, qui infamia laborant.*

Si mercator infamiam contraxit, liber rationum eius non amplius probat, quia tunc suspicio fundata adest, eum non

(⁴³) Cf. RUNDE's *Deutsches Privatrecht*, §. 643. SCHREIBER de *invaliditate librorum mercaturam concernentium, lingua iudaica conscriptorum*, §. fin.

(⁴⁴) Cuius verba haec sunt: "Und damit aller Betrug und Vervortheilung bey ihren Anleihen vermeiden bleibe, sollen sie die Zetteln ihres Anleihens nicht in jüdischer, sondern in Deutscher Sprache verfassen".

non rite et bona fide esse conceptum. Accedit, quod absque iuramento ex regula libro mercatorio non tribuatur fides, ad quod infamis admitti nequit. Observandum tamen est, hic non de infamia facti, sed de infamia iuris tantummodo sermonem esse. Illa enim secundum sententiam celeberrimorum iureconsultorum hodiernorum nullum habet effectum civilem. Is, cui poena infamiae nondum est irrogata, pro civiliter honesto est iudicandus, i. e. in societate civili omnibus honestorum civium fruitur iuribus, etsi mores ipsius sint profligatissimi, et ipse quam pessime audiat (⁴⁵). Infamia iuris contra poena civilis est, qua alicui certa iura aferuntur. In his privilegium librorum rationum quoque est. Ceterum quin infami quis sponte fidem habere possit, dubium non est: quilibet enim favori suo iure renunciat. Et quidem iste renunciandi animus vel declaratur expresse, vel tacite, nempe factis quibuscumque istam mentem exprimentibus. Quapropter non de nihilo sunt distinctiones doctorum, utrum is, qui cum mercatore infami contraxit, eius statum sciverit, nec ne? deinde, utrum demum post negotium gestum infamia supervenerit, an statim ab initio mercatori inhaeserit (⁴⁶)? Contra infamem codex ipsius rationum probationis vim retinet.

(⁴⁵) RUNDE in *Deutschen Privatrecht*, §. 301. DE SELCHOW electa iuris Germ. p. 444.

(⁴⁶) Distinctiones memoratas accuratius expositas tradunt KLEIN in diss. alleg. cap. IX. n. 17. LANGERMANN in diss. de libro mercatoris mortui, c. II. sect. 3. §. ult. BREHM in diss. de probatione per libros mercator. cap. 6. RÖSNER in tr. de libris merc. cap. XIV. n. 17.

net. Nam propriam turpitudinem in praeiudicium tertii alle-
gare non licet, nec est, ut ex illa utilitatem percipiat.

§. XVIII.

b. *De decoctoribus.*

Si de his, qui bonis lapsi sunt, agitur, dolo suo in hunc
statum redactos privilegio non gaudere certo certius est. Qui
vero innocenter rem familiarem perdiderunt, eo non sunt pri-
vandi (⁴⁷). Hi misericordiam, non poenam merentur, nec
per tale infortunium infamiam incurunt. Cessat tamen ista
humanitas, si in detrimentum aliorum aliquid libro deco-
ctor inscripsit (⁴⁸). Huc refero casum, si de prioritate agi-
tur, ad excludendum alterum (⁴⁹). Si decoctor res suas le-
viter quidem et negligenter, neutiquam vero dolose gessit,
fides librorum non tollitur, bene tamen minuitur. Habent
ergo fidem aliqualem, si aliis testimoniis adiuvantur, modo
rite sint exarati. Quodsi vero destituantur adminiculis, aliun-
de petitis, tunc iuramento purgatorio locus est (⁵⁰).

§. XIX.

(⁴⁷) Cf. HEINECCIUS in diss. all. §. 21.

(⁴⁸) Cf. HEINECCIUS in diss. cit. §. 22.

(⁴⁹) NICOLAUS VON DER FECHTE ad art. 7. tit. 30. p. I. stat. Hamb.

(In thesauro iuris provinc. et statut. tomo I. p. 892.)

(⁵⁰) LEYSER, sp. 80. med. ultima.

§. XIX.

c. *De his, quorum libri suspicionis ideo accusantur, quia
in alia causa adversarii libris, iuramento munitis,
victi sunt.*

Quid, si, utroque litigante librum suum mercatorum producente, uni delatum praestitumque ab eo est iuramentum suppletorium, utrum alterius liber in alia contra alium causa adhuc ad effectum semiplenae probationis produci potest? an vero eidem, ut semel in errore deprehenso, nulla prorsus habenda est fides in qualicunque alia causa? KLEIN (⁵¹) eiusmodi librum in posterum vi pro scribente probandi plane cecidisse putat ex hisce rationibus: 1. Ex praestito ab adversario iuramento non fieri posse, quin falsitatis contra librum partis victae oriatur praesumtio. 2. Librum in uno falso, semper falso praesumi, argumentis c. 8. *de R. I. in 6. et c. 9. X. de praesumptionibus.* 3. Mercatorem, contra cuius librum iuratum sit, falsarium haberet, cui iuramentum suppletorium deferri minime posse. — At hac sententia admissa privilegium nostrum fere tolleretur. Nam vix ac ne vix quidem negotiatoris codex, qui nullo erroris vitio laboret, invenietur. Magna negotiorum copia et celeris eorum expeditio errores gignat necesse est. Qua re crediderim, vitium non ad totum librum porrigidendum, sed non nisi ad annotationes restringendum esse, contra quas adversa pars productione sui libri et praestatio-

(⁵¹) Loc. cit. cap. 4. num. 110.

statione iuramenti plene probavit. Iniquum esset, ultra probationis argumentum, quippe quod non ad totum codicem, sed non nisi ad singula ipsius momenta spectat, conjecturis et hariolationibus evagari. At liber mercatorius, obiicies, est unum idemque documentum, nec ideo fieri potest, quin labes cuiuscunque partis serpat latius, totumque afficiat corpus; eiusmodi documentum, si a capite ad calcem sanum non est, corruit etiam in singulis capitibus. Respondeo: librum mercatorium non esse documentum continuum atque conne-xum, sed complexum plurium documentorum, ideoque in partes eum resecandum esse, ne sana cum pravis communi-fato perimantur. Alia res est, si mercator falsa in suo libro notavit; tunc, ut poenam falsarii luat, ad iuramentum sup-pletorium non admittendus est.

§. XX.

6. Conservatur etiam privilegium, etiamsi mercatores aliud vitae genus praeter mercaturam elegerint.

Supra vidimus, privilegium mercatoribus proprium esse. Inhaeret ergo statui; ita tamen, ut res exigenda sit ad tempus initiae obligationis, non institutae probationis. Incolum manet privilegium ratione eorum nominum, quae ante mutatum vitae genus contracta reperiuntur.

Sunt tamen leges, quibus vis probandi per libros merca-torios ad certum tempus restricta sit (⁵²).

§. XXI.

(⁵²) VON LUDEWIG in den gelehrten Anzeigen, p. 1052 exempla habet.
Accu-

§. XXI.

7. Non autem privilegio gaudent personae extraneae.

Ventilatur a doctoribus quaestio: num, sicuti libri mercatorii pro ipso scribente probant semiplene, ita etiam inter personas extraneas eadem vi polleant? Neganda est, quia privilegium tali modo extendere regulis interpretationis adversatur. Accedit, quod actus, inter alios celebratus, nemini nec commodo, nec detimento esse potest (⁵³).

Exceptio tamen est, si aliunde libri iuvantur indicium ac praesumptionibus, aut si plures socii mercatores negotiationis curam et administrationem, vel rationum conscribendrum provinciam uni demandaverunt. Tunc enim ille, qui scripsit, non sibi tantum, sed et reliquis, nec tantum contra se, sed et contra reliquos fidem facit in iis, quae iustum respiciunt societatem (⁵⁴).

§. XXII.

IX. De his, contra quos privilegio locus est.

Ex regula mercator non solum contra mercatorem, sed etiam contra quemcunque, qui non in numero mercatorum est,

Accuratus res determinatur in *iure provinc. Boruss.* T. III. parte 2. tit. 8. p. 597 seqq.

(⁵³) Cf. KLEIN l. c. cap. IV. num. 68. STRYK de probatione semiplena, cap. IV. num. 49.

(⁵⁴) VOETIUS in *comment. ad pandecras*, lib. XXII. tit. 4. §. 12. RÖSNER l. c. cap. XII. n. 44.

est, quocum ipsi negotia fuere, libro suo ad probanda nomina uti potest, ferente ita natura huius privilegii. Nonnullae tamen leges provinciales vim semiplenae probationis libris mercatorum tantummodo inter mercatores dant (55). Si contra extraneum producitur liber rationum, iure Saxonico iudicis est arbitrii, utrum malit mercatorem ad iusurandum supplementorum admittere, an reum ad iuramentum purgatorium (56).

§. XXIII.

X. De modo privilegii exercendi.

i. De modo producendi libros.

Productio ipsa semper in originali fieri debet (57). Si vero quaeritur, utrum totum codicem edere oporteat, an vero editio partis sufficiat, distinguendum est, utrum liber mercatoris debeat iudici produci ad effectum semiplenae inde eliciendae probationis, an vero, ut inde cognosci possit, num rite constructus formaque legitima sit munitus. Illic utique sufficit editio particularis codicis, cum nec iudicis, nec partis intersit, plus inspicere, quam illam partem rationum, quae a producente allegatur (58). Hic vero totus liber est edendus,

(55) Cf. *Ordin. process. Saxon.* tit. XXX. §. 4. WILLICH's Auszug aus den Calenbergischen Landesordn. T. II. p. 26.

(56) Cf. STRUVII *iurispr. Romano-Germanica forensis*, lib. IV. tit. II. §. 9. nota n.

(57) MEVIUS *ad ius Lubec.* lib. V. tit. 6. art. 7.

(58) L. X. §. 2. D. de edendo. C. 5. X. de fide instrum. Cf. GAIL. I. obs. 107.

dus, ut iudici inde liqueat, num, si fortasse deficiant quae-
dam requisita, admitti possit (59). Cui consilio tamen iam
satis fit, si liber iudici secreto datur ad inspiciendum. Ita eve-
niet, ut, quae in libro reperiantur forsan arcana negotiatio-
nis, aut alia, quae, cum a re sint aliena, scitu non necessaria,
aut producenti nocitura sunt, ea non in vulgus emanent. Ita
certe multis iureconsultis videtur (60), quibus tamen assentiri
nequeo. Nam ut reo, exceptiones, qualitatem libri concernen-
tes, opponendi copia detur et occasio, inspectio totius libri
necessaria est. Iam vero ius excipiendi contra instrumenta
probatoria ex arbitrio iudicis eripi nequit, nec ad inspectio-
nem denegandam arcana libri aliquid valent (61). Quodsi
examinatio codicis a parte adversarii domino sibi periculosa
esse videtur, huic probandi instrumento renunciandum est.

§. XXIV.

2. Habita in primis ratione loci, ubi productio fieri debet.

Mercator, qui salutem in libro mercatorio ponit, eum
in loco iudicii, ubi productio facienda est, edere tenetur (62).

(59) KLEIN, I. c. cap. III. n. 112.

(60) Cf. KLEIN I. c. cap. III. num. 113. MARQUARD in *iure merca-*
tor. lib. III. cap. 10. num. 36.

(61) RUNDE's *Privarrechte*, §. 462. in fine.

(62) Quomodo productio Hamburgi fieri soleat, docent MÜLLER in *an-*
notatione ad art. 6. tit. 30. partis I. et SCHLÜTER in *commentario*
ad statut. Hamburgense. ad eundem artic. (In *thesauro iuris pro-*
vincialis et statutariorum.)

Si vero non sine magnis sumtibus et incommodis ibi fieri potest editio, licet iudici, vel mittere idoneas personas, ut libros inspiciant, ipsique visa referant, vel in subsidium iuris implorare magistratus domicilii auxilium, ut eos examinet et rerum statum rescribat⁽⁶³⁾. Adversario vel ipsi editioni interesse, vel per procuratorem comparere permittitur⁽⁶⁴⁾. Mercator agens adeo adversario sumitus, ad constituendum in loco editionis procuratorem necessarios, praestare debet⁽⁶⁵⁾. Pari ratione, si adversa pars ipsa in locum editionis ire, librumque inspicere cupiat, mercator ad impensas itineris suppetitandas obligatus est⁽⁶⁶⁾. Cui actori nimis durum videtur, tot incommoda subire, ei abstinendum est ab isto probationis genere.

Editionem libri adversa parte urgente, neutquam ille, a quo libri desideratur editio, compelli poterit, ut ad alium locum libros suos mittat, aut alio in loco eos edat, quam in loco domicilii et civitatis, ubi degit⁽⁶⁷⁾. Nec contrario pacto rem mutari posse, statuit MARQUARDUS, nullis quamquam rationibus allegatis. Minus bene, ut mihi quidem videntur; nam quisque iuri suo per pactum renunciare potest, etsi maximum ita damnum incurrat. Cuiusnam periculo aut sum-

tibus,

⁽⁶³⁾ KLEIN, l. c. cap. III, n. 119. MARQUARD, l. c. lib. III, c. 10, n. 26.

⁽⁶⁴⁾ Haec omnia iuri communi consentanea sunt. L. 18. C. de fide inst.

Cf. BRUNNEMANN in tract. de processu, cap. XIX, n. 17.

⁽⁶⁵⁾ Cf. RÖSNER de libris mercat. c. IX, n. 25.

⁽⁶⁶⁾ Cf. LEYSER, sp. 279. med. ult.

⁽⁶⁷⁾ MARQUARD, lib. III, c. 10, n. 28. KLEIN, cap. III, n. 120.

tibus, si ad petentis instantiam pars contraria non abnuit transmittendos curare libros suos, transmissio fieri debeat; si quaeritur, respondendum est: periculo et sumtibus petentis.⁽⁶⁸⁾ Nam regulariter actus est expediendus eius sumtibus, in cuius tendit utilitatem.

§. XXV.

3. De iuramento suppletorio.

Is, qui librum suum ad probandum produxit, iurare debet, et librum rationum, et rationem ipsam (*die Rechnung*), ex eo extractam, iuste confectam esse, nec sese in iis aliquid notasse, vel notari curavisse, quod ad suam utilitatem et alterius damnum iniuste vergat, sed nomen controversum tale esse, quale in codice rationum et in ratione, ex eo extracta, notatum sit. Ipsum mercatorem iurare oportet; adeo etiam tunc, si codicem rationum ipse non conscripsit, sed hoc librario (*einem Buchhalter*), vel institori, vel socio commisit. Ille enim tantum, qui negotium gessit, seu dominus negotii scire potest, num notata in libro et in ratione vera ac iusta sint; nullo autem modo hic, qui ea, quae in libro memoriali vel in adversario scripta invenit, in codicem principalem transcriptis. Si mercator ipse negotium, de quo quaeritur, non gessit, tunc ea persona, quae optimam rei notitiam habet, iurare debet. Persona, quae gessit si suspecta est, iudex adversario iuramentum purgatorium deferre potest. Librarius, quia talis, nunquam iuramentum suppletorium praestare potest, quia nego-

⁽⁶⁸⁾ L. 4. §. 5. in f. D. de edendo.

negotia mercatoria ipsi non demandata sunt. Eius est, ea, quae in libris minus principalibus invenit, secundum regulas artis suaे in codicem principalem transcribere.

Si mercatoris, vel eius, qui negotia gessit, non amplius copia est, unus heredum, vel eorum, qui in codice rationum intentionem suam fundant, iuramentum credulitatis iurare debet. Fieri potest, ut socius, qui certum negotium gessit, mortuus sit; tunc a reliquis non iuramentum veritatis, sed credulitatis praestandum est. Ex pluribus, qui simul intentionem in libro defuncti fundant, unus tantum de credulitate iurare obligatus est, nam uno iuramento probatio suppletur, nec est, cur reliqui etiam iurent. Adversario tamen licet, contra eum, qui ad iurandum se offert, vel cui a iudice iuramentum delatum est, iustas propter rationes excipere et petere, ut unus ex reliquis, cui eadem aut alia iusta exceptio non obstat, de credulitate iuret, vel, si plures non adsunt, ut ipse ad iuramentum purgatorium admittatur.

Observandum adhuc est, ex regula etiam iudeos ad iuramentum suppletorium admittendos esse⁽⁶²⁾, si nempe in civitate recepti sunt, et in eos nulla doli suspicio cadit.

Ex iure Saxonico praeter confirmatorium iuramentum, cum exinde tantum semiplena oriatur probatio, assertorium quo-

⁽⁶²⁾ RIVINUS ad O. P. S. tit. 18. enunc. 10. RUNDE's *Deutsches Privatrecht*, §. 643. HEINECCIUS in diss. alleg. §. 31. HART. HARTMANN. tit. 24. obs. 6. in f. De praxi Hamburgensi cf. CRAMER. T. II. P. I. obs. 568.

quoque iuramentum de veritate ipsius debití accedat, requiriatur (70).

Illustrandae praxi Hamburgensi, quod ad productionem librorum mercatoriorum et iuramentum suppletorium attinet, egregie inserviunt ea, quae habet MÜLLER (71). Locus ita sonat: »*Usu in audiencia attestationum in termino probacioni praefixo producitur liber mercatorius coram dnn. praetoriis, und wird die eingeklagte Rechnung a iudice vel actuarius damit conferiret, idque praesente et ad id in specie citata parte adversa, und da sie accord befunden protocolliret, dabey denn oft der Gegentheil seine Einrede hat, wider etwa des Buchs anderweitige Richtigkeit, oder was er sonst von Fehlern dabey anmerket, welches alles dabey notiret wird. Darauf bestärket Producent seine Bücher und Rechnung, schwerend: dasz seine Bücher und die daraus gezogene Rechnung richtig, und er sich zum Vortheil, und Gegentheile zum Nachtheile nichts darin gefährliches angeführt, sondern Productus ihm wirklich die eingeklagte Summe (quandoque iuratur, dasz sie ihm weder ganz noch zum Theil bezahlt sey) vel so und so viel pro resto schuldig sey, und Producent nicht mehr als so und so viel darauf empfangen».*

§. XXVI.

(70) Vid. STRUV. *iurispr. Rom. Germ. forens.* lib. IV. tit. II. §. 9.
nota n.

(71) L. c. ad art. 6. tit. 30; part. I.

§. XXVI.

4. *In specie de iuramenti remissione.*

Iuramenti praestatio cessat:

1. Si lex libris mercatoriis plenae probationis vim vel absolute, vel sub certis restrictionibus tribuit; tunc ad probandum sola productio librorum sufficit. MEVIUS (⁷²) tamen opinatur, adeo tunc, si praxis forensis heredibus iuramentum remittit, iudicem haud prohiberi, suspicionis causa id suadente, vel adversa parte id petente heredibus iuramentum credulitatis deferre.

Nihilominus, quod attinet ad ius Hamburgense, valde dubito, heredibus deferri posse iuramentum credulitatis, cum hoc expresse et sine ulla restrictionibus libris mercatoris mortui plenam fidem tribuat.

2. Mercatores de secta mennonistarum ad supplendam probationem ex suis libris rationum iurare non obligantur; sufficit veritatis asseveratio loco iurisiurandi facta: *bey Manenwahrheit*; nam talis asseveratio ex concluso visitationis d. d. 13. Oct. 1768. ipsis pro iuramento est (⁷³).

3. Deinde nec is, qui intendit, ut semiplena probatio cum alia semiplena praeter iusiurandum coniungatur iuramento suppletorio indiget. Talis probatio per unius testis de-

(⁷²) In commentar. ad ius Lubecens. P. V. tit. 6. art. 4.

(⁷³) MALBLANC doctrina de iure iurando, sect. V. §. 113.

depositionem fieri potest (74). Aliud exemplum mancae probationis, expletae sine iuramento vel teste, habet LEYSER (75). Hoc est: Mercator in scheda, ex codice rationum suarum exscripta, quantum sibi Titius debeat, specifice consignat, hancque schedam ad Titium mittit, qui, illa accepta, per literas, se debitorem esse, fatetur, ac solutionem promittit, circa ipsam vero summam nihil monens. At valde dubito, talem agnitionem debiti, nulla mentione facta summae, ad probacionem ex libro mercatorio supplendam sufficere.

4. Porro etiam tunc, si vivo mercatori iuramentum in iudicio fuerit delatum et ab eodem acceptum, hic vero ante praestationis terminum decesserit, iuramentum cessat. Nam mors hic iuramenti loco habetur (76).

5. In contumaciam quoque contra debitorem non comparentem productio iudicialis libri rationum effectum plenae probationis sine iuramento habet (77).

6. Nec secundum KLEINIUM (78) iuramento opus est, si pugnatur inter actorem et reum, cuinam ex eorum libris, in

(74) CARPOV, lib. III, resp. 58. n. 21. RÖSNER in tract. *de libris mercat.* cap. XII. n. 1.

(75) L. c. spec. 279. med. 10.

(76) MEVIUS, P. V. dec. 46.

(77) *Allerhand Observationen des Ober- und Niedergerichtes zu Hamburg,* N. 30 und 32. (In *thesauro iuris prov. et stat.* pag. 924 et 925.)

(78) In *dissert.* cit. cap. IV. num. 50. seqq.

in nomine, de quo agitur, discrepantibus, maior fides habenda sit, dum neuter succedaneus esse velit alieni iuramenti. Ponit exempla haec:

Primo loco: in creditoris libro scriptum esse, certam frumenti quantitatatem die 14. Iulii anno 1696. Caio pro 1000 thaleris esse venditam; in Caii vero libro in summa hanc deprehendi varietatem, ut pro 1000 thaleris scripti tantum inveniantur 900; in reliquis vero Caii et actoris libros per omnia convenire.

Altero loco: Caium scripsisse, se ex 900 thaleris 500 die 16. Sept. 1696. in antecessum venditori solvisse; hunc contra in suo libro notasse, se ex 900 thaleris eodem die tantum 50 in antecessum pro vendito frumento accepisse.

Neutro casu iuramento suppletorio locum esse vult; statuit potius, quod ad priorem casum, ubi actor in libro suo fundat actionem, attinet, reum absolvendum, et non nisi eatenus, quatenus utriusque partis libri in summa concurrant, condemnandum esse; quod ad posteriorem, ubi reus in libro fundat oppositam actori exceptionem, reum ultra id condemnandum esse, in quo liber utriusque conveniat.

Prioris decisionis rationes, auctore KLEINIO, sunt haec:
 1. Si ab utraque parte aequaliter probatum sit, in effectu nil censeri probatum, actoris probatione per contrariam rei probationem penitus elisa 2. In pari causa cessare iuramentum suppletorium, reumque potius absolvvi debere, utpote cuius in dubio partibus magis quam actoris faveatur.

Po-

Posterioris decisionis argumentum dicit ex eo, quod, cum reus excipiendo fiat actor, eiusque vices in probanda exceptione subire teneatur, nihil tam naturale sit, quam ut reus, si exceptio ab actore penitus elisa sit, aequae condemnetur, ac si suam exceptionem plane non probaverit.

Argumenta KLEINII tunc tantum, ut mihi videtur, ad rem faciunt, si utriusque partis libri requisitis suis constant, nec in utramque partem suspicio cadit. Alioquin ea ad iuramentum est admittenda, pro qua plures praesumptions militant.

7. Denique huc doctores referunt casum, si mercatorum libri generaliter iuramento corroborati sunt. Tunc in singulis causis iuramentum suppletorium, nisi doli suspicio adsit, cessare aiunt (⁷⁹); et quidem hanc ob causam, quia dici nequeat, iuratam confirmationem deesse libro; tum etiam, quia praxis, qua fieri potest, parcere iuramentis soleant. Mihi quidem tale iuramentum generale, quo mercator vel institor ante, quam liber rationum inchoetur, promittit, se omnia, ut gerantur, bona fide scripturum esse, sufficere non videtur. Iuramentum enim suppletorium, de quo hic agitur, non solum hoc sibi vult, ut librum rite conscriptum esse inde probetur; immo latius patet, et conscientiam ipsam circa veritatem debiti, de quo controversia est, stringit. Veritas autem nominis nondum nati in antecessum iuramento generali confirmatione

(⁷⁹) RIVINUS ad ordin. process. Saxon. p. 1124. BREHM de probatore ex libro mercat. cap. 5.

firmari nequit; quod multo magis adhuc negandum est, si, ut
saepe sit, librarius codicis mercatorii curam habet.

§. XXVII.

5. *Num conventus contra se libros suos edere
obligatus sit?*

Quaestio, utrum quis suos rationum libros edere debeat
ad fundandam contra se ipsum intentionem agentium, nec ne,
mihi affirmanda videtur (§^o). MARQUARD (§¹) ad eandem
sententiam tuendam his fere rationibus utitur: 1. Quando-
cunque potentis intersit, et mandatum (scilicet ad documenta
scribenda) concurrat, nihil esse impedimento, quo minus
reus etiam actori, ad illius intentionem fundandam, edere
cogatur (§²); atqui, si petat actor, ut mercator compellat-
ur ad edendos libros, tam interesse illius, quam manda-
tum potentis concurrere. 2. Doctores iure extendere argu-
mentum *legis quartae de edendo pandectarum* ad negotia
mercatorum, et quidem eam ob causam, quia, ubicunque ratio
generalior est lege, haec ad reliquos casus, nominatim quidem
non expressos, attamen ex rationis aequitate tacite comprehen-
sos, extendatur. 3. Idem testari *legem 10. pr. §. 1. D.*
de

(§^o) Secundum affirmativam sententiam in foro Hamburgensi pronuncia-
tum esse, testatur pluribus praeiudiciis *thesaurus iuris prov. et statut.*

p. 929.

(§¹) In *iure mercatorum*, lib. III. cap. 10. num. 17.

(§²) Arg. L. 6. §. 4 et 5. L. 4. pr. §. 1. D. de edendo.

de edendo, quippe cuius ratio etiam in mercatores quadret.

4. Idem dicendum esse *de lege* 5. C. *de edendo* (⁸³).

In MARQUARDI sententiam ire non dubito; at praecipue
hac ratione commotus, quod annotatum in libro rationum
(*ein im Handelsbuche verzeichneter Posten*) instrumentum
commune habendum esse censem. Nempe instrumentum
commune mihi est scriptum alicuius negotii communis causa
conceptum, iura et obligationes utriusque partis determinans.
Atqui nomina in codice mercatorio eo consilio notantur, ut
iura et obligationes partium inde constent (⁸⁴). Pone tamen,
eiusmodi annotationem instar instrumenti communis non esse,
quis est, quin cum nonnullis recentioribus iureconsultis fa-
ciat, qui reum, aeque ac actorem, ad edendum obligatum es-
se demonstrarunt, etiamsi non sit commune instrumentum,
cuius editio postulatur (⁸⁵).

§. XXVIII.

(⁸³) Rationes pro contraria sententia pugnantes enumerat MARQUARD
l. c. lib. III. cap. 10. num. 7. seqq. quas eodem loco num. 24. seqq.
refutat.

(⁸⁴) Cf. CAR. WILH. MARTENS diss. *de instrumento communi eiusque
editione*. Gottingae, 1773. 4.

(⁸⁵) Cf. IO. GEORG. WERNHER diss. *de reo actori ad edendum obligato*.
Gottingae, 1739. 4. CAR. IAC. MANSON diss. *qua reum ab editione
instrumentorum non immunem esse probatur*. Ienae, 1788. 8. Vul-
garem sententiam contra MANSONEM tuctur EMMINGHAUS in nova
editione iuris controversi Coccianii. T. I. (1791) p. 213. nota m.

§. XXVIII.

6. *Num admittatur probatio in contrarium?*

Probationem in contrarium semper esse admittendam, non dubium est, quia ne publicum quidem instrumentum, quod tamen plene probat, nec testes idonei probationem in contrarium excludunt. Quod uno ore viri docti observantur⁽⁸⁶⁾. Et quidem tunc processus summarius in specie talis locum habet.

(86) Cf. RÖSNER in tr. de *libris merc.* cap. XII. num. 110. seqq. HEI-NECCIUS in dissert. cit. §. 29. WERNHER l. c. parte IV. obs. 206. p. 535. KLEIN in dissert. alleg. cap. III. num. 63. SCHREINING ad artic. VII. tit. 30. part. I. statuti Hamburg. (In *thesauro iuris prov. et statut.* T. I. p. 990.)

Kg 4999. 8¹⁰

f



56.

KO 17



DISSE⁹TATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

PROBATIONE PER LIBROS MERCATORVM.

QVAM

A V S P I C I I S R E G I I S
AVCTORITATE ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM
ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGSTA

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CAPESENDIS

DEFENDET

DIE XXVI. SEPTEMBRIS MDCCXCV.

IOACHIMVS NICOLAVS SCHAFFSHAVSEN,
HAMBVRGENSIS.

GOTTINGAE,

TYPIS IOANNIS GEORGII ROSENBUSCHI.